


VIRO SVMME VENERANDO

AVGVSTO CHRISTIANO BARTELS

S. THEOLOGIAE DOCTORI
SERENISSIMI BRVNSVICENSIVM DVCIS CONCIONATORI AVLICO
SACRAS ET SCHOLASTICAS PATRIAE RES
PRAESIDIS VICE MODERANTI
COENOBII RIDDAGSHVSANI ABBATI REL.

QVINQVAGINTA
POSTQVAM
SACRORVM ECCLESIAE NOSTRAE CVRAM SVSCEPIT
ANNIS EXACTIS

FERIAS SEMISECVLARES

DIE XXI. DECEMBRIS H. A.
RITE CELEBRANTI

GRATVLATVR

ANTONIVS FRID. WILH. LEISTE
PHILOS. DOCTOR LIB. ART. MAG. ET PROF[illegible]
GYMNASII WOLFENBVTTELANI RECTOR.

SVBIECTA EST DISPVTATIO DE HOR. OD. I. I. v. 29. ss.

WOLFENBVTTELAE
TYPIS BINDSEILIANIS
MDCCCXXIII.

Viro summe Venerando

Augusto Christiano Bartels

s. p. d.

Antonius Frid. Wilh. Leiste.

Immortalitatem hominibus concessam commemorantes scriptores antiqui non una eademque ratione ipsam animo videntur informasse. Alii talem utique cogitarunt, qua homo, id quod ex Adami posteris Chanocho, inter Graecos Polluci, ex Italis Romulo anteaque Aeneae contigisse ferunt, vel vivus inter coelites referatur; vel diem functus vita fruatur post fata superstite, cuius spem inprimis Socrates et Cicero argumentis firmare sunt conati: alii ipsam nominis et famae perpetuitatem immortalitatem dixerunt. Quare non ii modo celebrantur, qui ingenio factisve effecerint, ut carminum, chartarum, imaginum, statuarum, templorumve ope in gratis posterorum animis vitam suam quasi perpetuent; sed eorum quoque aequali laude praedicatur felicitas, quorum nomen ne intercidat, superstites filii prohibeant: orbitas autem et immatura filiorum mors nisi omnium maxima calamitas putatur, at gravissimis tamen, quae homini accidere possint, accensetur.

Nostris

Nostris temporibus, quibus et vitae terrestrem hanc securae spes nova cepit incrementa, famaeque perpetuitati ipsa facilitate, qua rerum gestarum memoria literarum monimentis aere perennioribus servatur et divulgatur, melius, quam olim, consultum est, posterorum quidem continua serie ad tuendam illustris nominis memoriam opus non est: nihilo tamen minus in prole eaque mascula mansurae ad posteritatem clarorum virorum celebritati certissimum praesidium plerisque videtur positum, eademque ideo expeti solet eo ardentioribus votis, quo quis maiori iure posterorum memoriam sibi deberi existimat.

Qua quidem in re id ipsum mirum potest videri, quod paucissimi sunt, qui memoriam suam progenie, quam relinquant, ultra seculum suum propagari videant: idque non eam ob causam, quod Homero iudice

παῦροι γὰρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δε τε πατρὸς ἀρείους,

sed propter ipsam eorum paucitatem, quibus vivis nepotes e filio ortos habere contingat.

Prima hinc repetenda videtur causa, quare semiseculares ferias, quas omnium applausu iam agis, Vir summe Venerande, iure Tibi gratulemur. Laetissimis enim vocibus licet aures nostras circumstrepat, ipsius tamen aetatis, quae celebrandis iisdem requiritur, ratio ad alia, unde revocandus nunc est animus, abripere nos facile posset, nisi gratandi causis, quas plurimas habemus, paulum immorati fuerimus.

Neque vero sola paucitas eorum, quos nepotes e virili stirpe sua orti iique vel adolescentes vel adulti gentis et nominis propagationem sperare iubent, nepotibus florenti Tibi peculiarem laetandi causam praebet; sed ipsa filiorum Tuorum celebritas, quae cum ad splendoris in domum Tuam a Te collati continuationem plurimum conferat, tum novis iisque gravissimis adhor-

adhortationibus ad servandam eandem nepotes quoque Tuos, quique ab illis orientur, est excitatura. Eam enim, ut de filio, quem primum sustulisti, pauca addam, nactus est gravissimis morbis medendi peritia, arcanaque naturae, rerum parentis, cum scrutandi tum scite exponendi solertia famam, ut in tertiam subinde cathedram inque eam, quam nunc ornat, altera vice evocatus, quantis studiis ad docendam in academiis iuventutem expetatur, luculentissime ostenderit.

Altera, qua, quicunque propinquitate, affinitate, munerum consortio, familiaritate, pietate, clientela, ministeriis Te contingunt, ad gratulandum Tibi hunc diem compelluntur, in virtutum meritorumque, quibus mirum quantum emines, multitudine est posita. Neque enim soli venerantur Te, qui sanguine Tibi sunt iuncti, quos, quo minus a latere Tuo discesserint, eo rectius de ingenii animique Tui indole, moribus et constantia statuisse mirum non est, sed omnium et singulorum, quibus comitate condita gravitas Tua est cognita, admirationem et observantiam Tibi conciliasti. Quanam cum laude ab eo inde tempore, quo a studiis fere ipsis, quae patria academia, olim florentissima, relicta Gottingae diligentissime coluisti, ad sacra ecclesiae nostrae administranda vocatus es, singulis muneris Tibi mandati partibus satisfeceris, simulque ingenium Tuum colueris, poliveris, et doctrinae indefessa amplificatione exornaveris, non solum inde patet, quod ex ea urbe, quae ex plurimis competitoribus Te potissimum, licet sola eloquentia sibi cognitum, in sacram cathedram suam evexerat, haud ita multo post aliorum suffragiis, quibus pariter non nisi fama innotueras, evocatus es; sed talis quoque principis, qualis Carolus Wilhelmus Ferdinandus fuit, sententia, qua tum sibi, tum genti suae et aulae Te ducem vitae ad servatoris nostri praecepta accommodandae elegit, et virorum doctissimorum iudiciis de iis, quae publici iuris fecisti,

est

est comprobatum. Quam scite et eleganter exponas, quae acutius, quam alii, perspexeris, ipsa probat facilitas, qua dissentientes edoces, iisque, si agendo opus est, ut Te ducem sequantur, persuades: ambitum ingenii autem summa rerum diversitas, quibus vel indagandis et dispiciendis, vel exponendis et probandis, vel administrandis et perficiendis admoveris.

Quid dicam de morum integritate, humanitate, naturae gratia et bonitate, iuvandique quemque studio? quid de animi firmitate, qua non modo ad perficienda, quae sapienter cogitasti, sed etiam ad tolerandas deleniendasque, quas ferunt res humanae, acerbitates egregie uteris? Non chartae huius est, neque ingenii mei, singula, quibus excellis, enumerare, multo minus, exemplis illustrare. Tot sunt et tanta, ut ipsa eorundem admiratio subrepente cogitatione, quale Tui desiderium, si quid humani acciderit, relicturus sis, ad tristitiam eamque acerbissimam procliviores nos redditura esset, nisi bona firmaque corporis Tui valetudo iure nos inde revocaret.

Aliam enim et Tuis et nobis et universae reipublicae gratulandi causam praebet divinum numen, quod tam robustam vividamque esse vult senectutem Tuam, ut non solum aequales Tuos tantum non omnes, sed plurimos quoque iuniorum vigore longe superes. Lauream meruisti, quae frontem cingat, haud tamquam athleta, qui, cum per omnem aetatem certaverit aemulosque vicerit, rudem accepit, ut honesta vacatione fruatur, quam anni requirunt; sed tamquam victor, quem licet satis spectatum indevicta tamen, quae insita ipsi est, vis antiquo ludo iterum includit, seu ut veteranus miles, qui stipendiis iam emeritis firmissimus, quid quod invictus Romanis habebatur. Tibi quoque, Vir summe Venerabilis, iure videntur acclamanda, quae longe celeberrimo Galilaeo Galilaei aetatem Tuae aequalem agenti scripsit Hugo Grotius. (Exstant in epistolarum volu-

volumine, quod Amstelaedami 1687 prodiit, pag. 266.) Qui venerari se praeceptorem suum, quod ista aetate plura ac maxima suscipere pergat, istamque non senectutem dicendam, sed vitae perfectionem et de omnibus fortunae iniuriis gloriosissimam victoriam esse testatus, ea addit, quibus, si alius quis, quam ad quem scripta erant, Tu iam compellandus videris:

Hunc ego sublimi quaesitum mente triumphum
Ducere maluerim, quam ter capitolia curru
Scandere Pompeii, quam scandere colla Iugurthae!

Quodsi umquam posset dubitari, vires, praesertim ingenii, aetate minus, quam desidia et inertia diminui: exemplo Tuo luculentissime probares, tantum abesse, ut usu frangantur, ut industria et exercitatione acuantur, augeantur, firmentur. Et corpore et animo tam vegetum Te laetabundi videmus, ut sperare nobis liceat, vires, quibus vel nunc polles, suffecturas esse, ut eorum, quibus de patria optime es meritus, amplissimam messem spicilegio augeas, quale in aliis iustae messis instar esse possit. Quodsi forte deficere incipiant, firmabit eas cum tot annorum exercitatio, qua minori contentione difficiliora perficiuntur, quam praevalidi roboris rudi nisu: tum adiuvabit Te plurimorum, quae optime Tibi successerunt, grata recordatio, iucundissimis blandimentis suis mentem mirum quantum reficiens, et vel ad ea suscipienda exhortans, quae alii intacta relinquerent.

Praeter Platonem, qui uno et octogesimo anno scribens mortuus est, et Isocratem, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse dicitur et quinquennium postea vixit, Cato maior in dialogo, quem Cicero de senectute scripsit, Sophoclem quoque, Homerum, Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, Gorgiam, Pythagoram, Democritum, Xenocratem, Zenonem, Cleanthem, Diogenem Stoicum

cum nominat, quos in suis studiis senectus haudquaquam coëgerit obmutescere. Tum suum ipsius afferens exemplum, licet quartum annum et octogesimum agat, vires tamen adolescentis desiderare se negat.

«Non curia, inquit, vires meas desiderat, non rostra, non amici, non clientes, non hospites ----- Septimus mihi Originum (quibus historiam populi Romani perscripsit) est in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: causarum illustrium, quascunque defendi, nunc cum maxime conficio orationes: ius augurum, pontificum, civile tracto: multum etiam Graecis literis utor: Pythagoreorumque more exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi ------- Adsum amicis: venio in senatum frequens, ultroque affero res multum et diu cogitatas.«

En Tibi, Vir summe Venerabilis, imaginem senis, cui Tu cum in aliis simillimus sis, cur et longaevitate similem fore dubites? Sunt,* qui vivendo eum longe superarunt, quorum exempla Hufelandius ὁ πάνυ, et fato iam defunctus naturae perscrutator I. S. Schroeter collegerunt: at missis iis, vota, quae pro vitae Tuae continuatione iam suscipimus, nuncupantes eam cogitemus aetatem, qua Cato tam crudam viridemque agebat senectutem, ut tractare posset, quibus occupatum fuisse Cicero narravit. Ad quam aetatem ubi perveneris, nos, dummodo ipsi tunc vitali aura fruamur, novis votis precabimur, ut Pylium senem quemadmodum sapientia, ita et annis aeques.

Mos ita fert, ut talibus votis disputationis quid adiiciatur. Cuius quidem materiem circumspiciens, cum ambo nunc otio careamus, ipse, ampliorem tractandi, Tuque, maius opus legendi,

ad

ad Horatium eo lubentius substiti, quo magis in deliciis **Tuis** est, ipsaque res, de qua iam agetur, Duumvirorum, a quibus dissentio, summa celebritate peculiarem gravitatem lucratur. Is enim, qui doctissima de Homeri carminibus disputatione principem inter criticos locum est nactus, FRID. AUG. WOLFIVS, quique inter Ienensis academiae lumina est conspicuus, HENR. CAR. ABR. EICHSTADIVS carminis, quod in lyricorum Flacci fronte est, finem depravatum censent: alter vocabulum, a quo tamen omnis oratio pendet, immutari iubet, alter totum simul versum eiici. Quos contra si vulgarem lectionem vindicare mihi non successerit, viribus inferiorem ostendisse me non puduerit, dummodo **Tibi, Vir summe Venerabilis**, armis in tali certamine tentandis haud prorsus impar fuerim visus. Porro ipsa talium virorum auctoritas ea est, ut, quae F. G. Doering et F. H. Bothe, viri clarissimi, in editionibus suis Horatii opp. monuerunt, ad vindicandum textum vulgarem non sufficiant. Alia autem de hac re praeter ea, quae contra priores huius loci censores Chr. Ad. Klotzius in vind. Q. Hor. Flacci dixerat, equidem non inveni.

Horatium odarum duobus vel tribus prioribus libris, cum collectos Maecenati esset traditurus, primum carmen praefationis loco praemisisse pro communi virorum doctorum sententia haberi potest, quorum plerique in eo consentiunt, Flaccum Maecenatis iudicium de se plurimi facientem profiteri, se poësin sectari solam, et nihil magis cupere, quam ut lyrici vatis gloria dignus ipsi videatur. Laudant iidem rationem, qua hanc sententiam exposuerit, cum a variis hominum studiis exorsus

suo quemlibet duci haud in universum monuerit, sed, ut poëtam deceat, exemplis hoc demonstraverit, talibusque sit usus, quae poëticam tractationem optime admittant. Neque aliter sentio, licet adeo magna eorundem sit copia, ut tantum non fastidium moveat, cui tamen orationis varietas occurrit. Missis hisce ad ultimos carminis versus subsistam, quos adiectis numeris ex editione Vanderburgii, cura Aug. Pauly repetita, iam apponam.

29. Me doctarum ederae praemia frontium
30. Dîs miscent superis: me gelidum nemus
31. Nympharumque leves cum Satyris chori
32. Secernunt populo, si neque tibias
33. Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
34. Lesboum refugit tendere barbiton.
35. Quodsi me lyricis vatibus inseres,
36. Sublimi feriam sidera vertice.

Quae Ill. Wolfius contra ea in Analect. literar. I, 2. inde a pag. 261. post Harium, Broukhusium, Jones, Marklandium, Spencium, Sanadonem, Wakefieldium, Feam, qui omnes versu 29. TE legendum censuerunt, monuit, talia sunt, ut, si ab iis recte discedi probaverim, res acta videri possit. Cuius doctissima disputatio haec fere est:

„Quocunque sensu poëta accipietur Dîs mixtus superis, ridiculum „aut certe ἀκατάλληλον est, eum, qui sibi iam inter superos seu cae„lites versari videatur, repente mox descendere in terram, ut ignobi„liore sodalitio nympharum et satyrorum fruatur, deorum tamen, ea„que re ab indocta plebe mortalium semotum; quamquam ne id quidem „sine dubitativa conditione, si neque tibias Euterpe cohibet, „nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton; eun„demque sibi denique abunde beatum videri, si fautor Maecenas locum „concesserit in terreno genere poëtarum."

Impro-

Improbata deinde vulgari ratione locum interpretandi, quem ex Ovid. Metam. VII. 61. et Herodot. III. 65. illustrandum censet, lectores ad id animum attendere iubet,

„quod poëta post primam amici compellationem in tot variorum ho„minum studiis descriptis — — ne verbo quidem memor illius, sed „sese unum per octo versus celebrans parum significanter subiiciat: „Quodsi me lyricis vatibus inseres, sublimi feriam sidera „vertice. — —

„Deinde, quam putidum est dicere, gelidum nemus secernere „a populo virum, quem doctrina iam Superis immiscuisset?

„Et qua tandem modestia ita de se loqui potuit Horatius, nusquam „iactator sui? Verum in illa duorum postremorum versuum clausula „adhuc duo nos offendunt: primum levius hoc et grammaticum, quod „nullo praeposito nomine aut praenomine ad Maecenatem relabitur ora„tio — — alterum paulo gravius est, quod nullo vocabulo docemur, „quo iure potissimum Maecenas a poëta sibi brabeuta poscatur, „cum neque in viri insignibus natalibus, neque in patronatu eius aut „amicitia ad rem iusta sufficiat autoritas.“

Quibus praemissis aliisque additis, quae ad rem minus facere videntur, rationes subiungit, cur unice verum oporteat haberi TE.

„Primum in verecundo homine, qualem Horatium undique novimus, „inepta fuisset gloriatio, si, cum paulo ante (Serm. I. 4, 39.) ne „nomen quidem sibi arrogasset poëtae, iam poëmatum melicorum pri„mos duo libros editurus statim in prooemio eorum tantam anticipasset „superbiam, minime quaesitam meritis, sed hac demum „editione quaerendam. Videlicet alia huius carminis ratio est, „alia eorum, quibus alterum et tertium odarum librum clausit; unde „I. M. Gesnerus vulgari lectioni falsum colorem mutuabatur. Imo com„muni sensu carere dicatur poëta, qui nullo temporis respectu, nullo „hominis, ad quem scribit, iam nunc velut perenni monumento ex„acto glorietur.

„Ad quem vero scribit? Nempe ad virum non modo potentem et „gratiosum principi, sed etiam eruditum, qui musico studio per omnem „vitam deditus fuerat, ipseque carmina faciebat, atque haud dubie [illegible]

„iam

„iam fecerat ediderat que multa et artificiosa — — Taline homini et „tali in loco ne uno quidem versiculo perfunctorie honorem habere „voluisse Horatium? — — Quodsi Maecenas Diis mixtus Superis „praedicatur, etsi id praeconium ex veterum more minus magnificum „est, quam pro sono verborum, tamen ea verba quocunque torseris, „multo aptiora erant opulento nobilique viro, quam amiculo, qui hoc „certe loco invidiosam sui laudem devitare maxime debebat."

Primo igitur loco improbata est iunctura imaginum, quibus Horatius non solum Diis mixtum, sed etiam Nympharum et Satyrorum choris a populo secretum se declarat, omnium vero maxime Maecenatis laudem ambiens.

Quod ad duo priora attinet, ea non sunt ita diversa, ut iungi apte nequeant. Ill. Wolfius ipse fatetur, Horatii Diis Superis mixtum se laetantis praeconium ex veterum more minus esse magnificum, quam pro sono verborum.

Duplex autem est sensus, quem verba: Diis mixtum esse, admittunt.

Potest enim summa, quam quis aut re vera adeptus sit aut adeptus sibi videatur, felicitas iis denotari, cum vel proverbialem locutionem fuisse doceant Plautus, apud quem (Curc. I. 3. 11.) Phaedromus cum puella, quam amabat, congressus exclamat: Deus sum! et Terentius, qui (Heaut. IV. 3. 15.) Cliniam, cum prae nimio gaudio vix apud se esset, ita loquentem inducit: Deorum vitam adepti sumus!

Aliis autem locis haec verba ipsum impetum et furorem denotant, quo poëtae ad canendum abreptos se dicunt. Audiatur Ovidius in art. amat. III. v. 549. s.

Est deus in nobis, et sunt commercia caeli.
Sedibus aetheriis spiritus ille venit.

et Fast. VI. 5. s.

Est deus in nobis: agitante calescimus illo:
Impetus hic sacrae semina mentis habet.
Fas mihi praecipue vultus vidisse deorum,
Vel quia sum vates, vel quia sacra cano.

Pariter Horatius se Bacchum in remotis carmina rupibus docentem videre, (Od. II. 19, 1.) et referre sermones deorum, (Od. III. 3, 70.) praedicat, quid quod deos tamquam praesentes appellare sibi videtur (Od. II. 19, 7. III. 25, 1.), quibus locis Ill. Mitscherlich Statii Theb. III. 550. Achill. 1. 508. addit, ubi vates divino furore correpti, dum futura eloquuntur, deos, seu deorum concilia irrumpere dicuntur.

Quarum significationum utra verbis

Me doctarum ederae praemia frontium
Dîs miscent Superis

insit, dubitari poterat, nisi copiose loquendi more a poëtis haud minus quam ab oratoribus adhibito addidisset:

Me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo,

quae ad idem, quod modo declaraverat, referenda sunt.

A populo enim Horatium non ita se secrevisse, ut eos coluerit solos, qui ingenio, opibus, honoribus, potentia excelluerint, non modo tenui vita edocemur, quam repudiata Augusti familiaritate, qui in epistolis scribendis a nostro adiuvari se volebat, unice sectabatur cf. Ep. I. 18, 104. s. I. 7. I. 5, 1. Serm. II. 6. Od. II. 16, 13 s.; sed colligere facile possumus, epistolam I. 14. legentes, quam ad villicum suum dedit, et convivam Cervii vicini, probi quidem, at de plebe tamen hominis fuisse considerantes. Conf. Serm. II. 6, 77. Populo igitur relicto Nympharum Satyrorumque choris se adiungentem haud aliud significare putes, quam se quoque Bacchum sequi, cui agrestia illa numina adhaerebant. Disertius id profitetur Ep. II. 2, 76. ubi memoratis, quae Romae a carminibus scribendis avocent, ita pergit:

I nunc

I nunc, et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes,
Rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra:

Bacchi autem consortio excelsiorem, quo contactus ad canendum incitetur, spiritum declarari initium probat carm. II. 19.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite posteri!)
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.

Quare haud vituperandum arbitror Klotzium in Vindiciis Q. Hor. Flacci pag. 65. s. ita censentem:

„Diis immixtum esse superis et secerni populo unam „eandemque rem designant; utraque sententia nihil aliud innuit, quam „ingenium poëtae lyrici concipiendis visionibus aptum, impetum, virtu„tem, eumque furorem, quo afflatus in nemora et specus agi, Bacchum „in remotis rupibus carmina docentem videre et sermones deorum au„dire aliaque percipere sibi videtur, quae profano populo non concessa „sunt. Unde procul dubio odae naturam descripturus ante oculos ha„buit hos versus Boëlaeus in arte poët. II. 58.

L'ode avec plus d'éclat et non moins d'énergie
Elevant jusqu'au ciel son vol ambitieux
Entretient dans ses vers commerce avec les dieux,

Adiungere placet, quod ad illustrandum locum nostrum haud parum conferre videtur, initium carminis IV. 3., quo pariter, splendidissimis laudum titulis posthabitis unice ex studiis poëticis gloriae sibi quaerendam materiem, eiusque causa solitudinem petendam declarat.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,

Ostendet capitolio:
Sed quae Tibur *) aquae fertile praefluunt,
Et spissae nemorum comae
Fingent Aeolio carmine nobilem &c.

Bacchum autem enthusiasmi, quo ad carmina pangenda ducatur, autorem praeter alios partim iam memoratos locos refert Carm. III. 25. init.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum! quae nemora aut quos agor in specus,
Velox mente nova! quibus
Antris egregii Caesaris audiar
Aeternum meditans decus
Stellis inserere et consilio Iovis!

Eidem et laudem poëticam deberi ipsae coronae ederaceae significabant, quibus ornabantur vates, teste Ovidio in Fastis V. 79. s.

Tum sic, neglectos edera redimita capillos
Prima sui coepit Calliopea chori.

eodemque Trist. I. 7, 2. s.

Deme meis ederas, Bacchica serta, comis.
Ista decent laetos felicia signa poëtas:
Temporibus non est apta corona meis.

Quod ad sequentia attinet
si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton:

---

*) In secessu Tiburtino carminibus scribendis inprimis aptum se fuisse et vacasse testatur Horatius aliis quoque locis, v. c. Od. IV. 2, 27. s.

Ego apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas, operosa parvus
Carmina fingo.

ea Ill. Wolfius pro dubitativa conditione habet, a qua Horatius, quae magnifice de se dixerit, pendere velit. Gesnerus in thesauro l. l. ubi SI conditionalem coniunctionem esse universe monuit, haec addit:

„sed late accepto vocabulo conditionis, ut omnia etiam causarum ge-
„nera complectatur, tempus item, et omnem aliam circumstantiam,
„a qua eventus aliquis quocunque modo pendere intelligitur."

Quod quam vere sit dictum, ipse probat Horatius Od. I. 16, 5. s.

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Si geminant Corybantes aera,
Tristes ut irae;

Epist. I. 7, 10. s.

Quod si bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare descendet vates tuus rel.

Neque non Cicero simili modo dicit Tusc. III. 22. in.

aegritudinem tum existere, si - - - -

Ad Div. II. 10.

Quod (oppidum) si, ut spero, cepero: tum vero literas publice mittam.

Terentius Phorm. II. 1, 17.

Herus si redierit, molendum.

Virg. Aen. V. 64. Prop. III. 15, 33. Catullus XIV. 17.

Quibus in locis SI pro CVM positum esse patet.

Neque moror, quo minus nostro loco i. q. SIQVIDEM esse dicatur. Plurima hunc loquendi usum probant exempla. Audiatur Cicero pro Archia cap. 12:

Petimus a vobis, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse, ut Archiam in vestrum accipiatis fidem;

et Virgilius in Georgicon exordio Deos, quos invocat, quandoquidem arationis vitiumque sationis initia ipsis debeantur, canenti sibi affore sperans, eosque ita alloquens:

Vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Ferte pedem!

ad quem locum Servius in commentariis monet:
„Si i. e. siquidem; nam SI confirmantis est.

Quod non musas universe, neque unam aliquam, sed duas diserte nominat, quarum favore frontem suam edera cinctam, eoque ipso poëtam declaratum se praedicat: forte ad varia melicorum carminum genera, quibus inclaruit, pertinet, siquidem ad Euterpen, quae *) a tragoedia, cuius inventrix a nonnullis perhibetur, prorsus aliena, nomen a delectando habet, leves cantus pertinent, ad Polyhymniam autem, quippe quae βάρβιτον pulset s. βαρυμιτον (ὅτι βαρεῖαν τὴν φωνὴν ἢ φθόγγον ἀφίησι) gravius et severius lyricae poëseos genus est referendum; quale discrimen ipsi Horatio Od. II. 13, 24. s. obversatum videtur, ita dicenti:

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus;
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.

Sensum igitur versuum 29 — 34 poëtico ornatu destitutum duobus verbis: Equidem poëtor! contineri extra dubium positum existimo, ut, quae sequantur

Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice!

ad longe aliam rem, felicitatem dico, referenda sint, quam Horatius, si Maecenati placuerit, adeptus sibi videatur.

Proverbiale loquendi genus iam Ill. Wolfius in ultimo versu agnovit, non diversum ab ea ratione, qua Ovidius Metam. VII. 61. Medeam, num Iasonem adiuvare velit, deliberantem ita loqui facit:

*) Dulciloquos calamos Euterpe flatibus implet,
Ausonii Idyll. 20, 4.

Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
Aesonidem, mutasse velim, quo coniuge felix
Et dîs cara ferar, et vertice sidera tangam.

Exemplis, quae ad probandum hunc usum dicendi ex Herodoto III. 65. et locis Ciceronis in clav. Ern. s. v. coelum collectis petere iussit, unicum Theocriti locum V. 41. s. addam

Φριμάσσεο πᾶσα τραγίσκων
Νῦν ἀγέλα· κ'ηγὼν γὰρ ἴδ' ὡς μέγα τοῦτο καχαξῶ
Κὰτ τῶ Λάκωνος τῶ ποιμένος, ὅττι ποκ' ἤδη
Α'νυσάμαν τὰν ἀμνὸν· ἐς ὠρανὸν ὕμμιν ἀλεῦμαι.

quo poëta pastorem de re tenui aeque laetari facit, ac Cicero aequales suos, ad Atticum (II. 1. med.) ita scribens:

„Nostri autem principes digito se coelum putant attingere, si mulli „barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant."

Sed praeter ea, quae Horatio praedicanda de se negat, Illustris Wolfius eo quoque offenditur, quod poëta, ut singula, quae hoc nomine ipsi obiiciuntur, referam,

„post primam amici compellationem, in tot variorum hominum studiis „descriptis omnique prope humano genere ad partes vocato, ne verbo „quidem memor illius, sed sese unum per octo versus celebrans, pa„rum significanter subiicit: Quodsi me lyricis vatibus inse„res (ita enim legendum censet, non inseris): sublimi feriam „sidera vertice. Siccine inurbanus noster? siccine praeter morem „negligens patroni, quem solum omnium praetermitti minime decebat?

Quae quam vere sint dicta, age, iam videamus.

Varia igitur hominum studia memorantem eius quoque, quo Maecenas ducebatur, mentionem facere par erat. — At num singulorum studia enarravit? Imo certarum velut classium, peculiaribus vitae generibus distinctarum. Si poëtandi studium in Maecenate non poterat non laudare, num eidem sese posthabiturus hunc quasi maiorum gentium poëtam, se autem minorum exhibere debebat? Quod quam vere facturus fuerit, postea vide-

videbimus: nunc illud moneo, talia agentem de sese et patrono communiter loqui debuisse, ut iuncti novam classem efficerent a ceteris diversam; et tunc demum, cum eam constituisset, et amico et sibi iustum in eadem locum assignare potuisse. Quo facto iis quidem, quae duobus ultimis versibus adiecit, locus relictus non erat, ita ut poëtae idem accidisset, in quo alios notavit A. P. 21.

Amphora coepit
Institui; currente rota cur urceus exit?

Quodsi autem poëseos studia sua cum aliis, qualiacunque tandem sint et quantumvis celebrentur, comparans unius Maecenatis applausum cupit et petit, cur

„nullo praeposito nomine aut praenomine ad Maecenatem relabitur „oratio?"

Id si quaerat aliquis, ex eo pari iure quaeratur: Cur tandem Maecenatis nomen aut praenomen repetendum fuerit? Nam post primum alloquium Maecenatis, cum exposita studiorum, quibus homines ducantur, varietate ad se rediret, ad alium orationem non converterat; cumque dubitari non posset, cui postrema essent dicta, iterum amicum compellans in verbositatis vitium incidisset, quod a dicendi copia et ornatu longe alienum veteres mirum quantum effugerunt.

Num forte in Maecenatis laudem parum dixit? Post ea, quibus initio carminis eum allocutus erat, quid homini, qui poëtarum patronus videri cuperet poëtisque se immisceret, gratius et acceptius dici poterat, quam iudicio suo relinqui, num inter lyricos vates referendus sit, quem, quid ipse de se statueret, in volumine, quod eidem iam traditurus erat, declarasse secundi libri ultimum carmen docebat?

Neque magis id desiderabunt alii, quod Ill. Wolfius pariter desideravit, nullo vocabulo lectorem edoceri, quo iure potissimum

mum Maecenas a poëta sibi brabeuta poscatur. Quod si exposuisset noster, aliis forte culpandi materiem praebuisset, cum iudicii acumen in Maecenate laudare debuisset, quod, licet in rebus publicis probatum, in iis tamen, quae ad eloquium spectant, saltem, ubi ipse quid scriberet, nullum fuisse ex iis apparet, quae Seneca ep. 114 et sub finem epp. 19 et 92 monuit, exemplisque ita probavit, ut mirum esse non possit, Horatium aeque ac Virgilium, Propertium, Ovidium aliosque, licet multis de causis ad coelum laudibus extulerint, poëticam tamen hominis facultatem siluisse. Concedamus autem, fuisse, cur ipsi carminum censura iure tribueretur: at hoc tamen qui expositurus erat, solis iis necesse habebat exponere, quibus forte persuadere vellet, sese ideo, quod Maecenatis suffragium tulerint carmina sua, iure inter lyricos esse referendum. Ut a re forensi exemplum petam: Si quis eius, quem legitimum suumque iudicem esse agnovit, iudicium subiit, num huic, cur suus sit iudex, dedita opera probaturum putes?

Sed forte eam ob causam versus 29 cum priori parte sequentis ad Maecenatem est referendus, quod, ut Wolfius putat, in verecundo homine, qualem Horatium undique novimus, inepta fuisset gloriatio, si poëmatum melicorum primos duo libros editurus statim in prooemio anticipasset superbiam, hac demum editione quaerendam?

Ad quae primo loco monendum videtur, haud tam certum esse, solos duo priores libros cum hoc prooemio ad Maecenatem esse missos. Iis, quae de vita nostri ad C. Suetonium Tranquillum auctorem vulgo referuntur, ea de re non nisi haec insunt:

„Scripta quidem Horatii usque adeo probavit Augustus, mansuraque „perpetuo opinatus est, ut non modo seculare carmen componendum „iniunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique, privignorum

„suo-

„suorum; eumque coëgerit, propter hoc **tribus carminum libris**
„ex longo intervallo **quartum addere**,

quae ita videntur accipienda, ut tres priores libros simul edidisse dicatur.

Quodsi autem in hac collectione tertius carminum liber non fuerit, at secundi tamen libri ultima ode inest, qua nominis poëtica virtute parti immortalitatem certissime augurans praeclarius fere, quam ullo alio loco, de se statuit. Porro libri primi carmen tertium, quo Virgilium Athenas discedentem votis prosequitur, cum ad a. u. c. 735 referendum sit: collectionem hanc, cui et prius emissa et in scriniis adhuc latentia non servato temporis, quo scripta erant, ordine inseruisse putandus est, non ante annum aetatis quadragesimum sextum vel septimum ab Horatio factam apparet, quo quidem, cum biennio post carmen seculare componendi honorificentissimum munus ab Augusto demandatum accepisset, quanta iam tum eius fuerit fama, facile colligas. Nusquam iactatorem sui fuisse probaturus Wolfius V. I. locum Od. III. 16, 19. laudat:

Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem.

Quae quidem de opibus divitiisque contemnendis accipienda esse cum iis, quae proxime antecedunt:

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumque fames;

tum sequentibus

Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab Dîs plura feret!

docerem, nisi iactantiae opprobrium omnino abesse a loco nostro supra monuissem; ubi deorum commercio, quod in Maecenatem potius, quam in Flaccum cadere vult Wolfius, haud superbi animi iactantiam, sed divinum furorem, quo vates se abreptos sentiunt, denotari plurimis exemplis ostendisse mihi videor.

Haec

Haec potissimum sunt, quae contra Wolfium V. I. ad defendendum textum nostrum, quo versu 29 ME legitur, monuerim.

Dixi, ab Eichstadio quoque, viro Illustri, impugnatum esse, cuius censura in Clarissimi Seebode nova bibl. crit. a. MDCCCXXII. Vol. XI et XII. inde a pag. MCXXX. est repetita. Qua postquam emendationis ab aliis iam tentatae veritatem a Wolfio ita probatam praedicavit, ut ad persuadendi firmitatem nihil addendum supplendumque reliquerit; mirari se dicit, quod Wolfius non offensus fuerit eiusdem carminis penultimo versu, quem, cum et ordinem concinnitatemque sententiarum disturbet, et vim poëticam prorsus infringat, totum tamquam putidum, insititium et Horatio plane indignum ex pulcherrimo carmine eiiciendum censet, idem et Abr. Iac. Penzelio et Car. Dav. Ilgenio placuisse narrans. Quam quidem sententiam ut magis firmet, haec addit:

„Primum quam inconcinna et distorta est periodus poëtica, si enunciationibus apte compositis congruenterque sibi respondentibus

29. TE doctarum ederae praemia frontium
30. Dîs miscent superis: ME gelidum nemus
31. Nympharumque leves cum Satyris chori
32. Secernunt populo,

„ista dubitativa conditio, velut cauda, appenditur:

si neque tibias
33. Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
34. Lesboum refugit tendere barbiton.

„Quam languide appendicem illum sequitur periodus haec:

35. Quodsi me lyricis vatibus inseris,
36. Sublimi feriam sidera vertice.

„Num uno hoc in loco tam invenustus fuit Horatius, ut in magna „sententiarum semet invicem excipientium aequalitate, quae ad eandem ora-

„orationis concinnitatem invitaret, tamen protasin, quae dicitur, uno „et dimidio versu concluderet (29. 30.), apodosin autem per quinque „versus (30 — 34) produceret et dilataret? Itane ipsa poëmatum „eius frons habet cur erubescat? Nam alias insigne est artificium „poëtae in struendis vinciendisque periodis lyricis: quae res (obiter id „addimus) nondum satis perspecta interpretibus, certam et unicam „affert iudicandi normam de aliquot locis vel lectionis vel interpreta-„tionis vitio adhuc laborantibus."

Quae huic loco, quem totum apposui, insunt, ea emendationi quidem auctoris suffragiis comprobatae adversantur, minime autem vulgatae lectioni, dummodo interpretandae illi adhibeantur, quae supra attuli. Sufficiet igitur comparandum proposuisse aliud Flacci carmen I. 31., quod cum integrum nostro simillimum est, tum passim, inprimis versibus 15 et 16., quibus de se poëta loquitur, nostro loco parem structuram habet:

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? Quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimae
Sardiniae segetes feraces:

Non aestuosae grata Calabriae
Armenta: non aurum aut ebur Indicum:
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem: dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina, Syra reparata merce,

Dîs carus ipsis. Quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. ME pascunt olivae,
ME cichorea, levesque malvae rel.

Ad id, quod altero loco monuit Ill. Eichstadius:

„Quam temere nullo praeposito nomine aut pronomine post illam lon-„giorem dubitationem:

Si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton

„ad Maecenatem relabitur oratio! Vix emollitur ista durities structu-„rae, si v. 29 TE pro ME cum Wolfio reponas.

prius iam est responsum; quare iam ad ea progrediamur, quae proxime sequuntur:

„Tum, quam miserabiliter iacet in extremis odae versibus, in quibus „sublimi vertice surgere debebat poëta, illud ex prosaicae ora-„tionis consuetudine illatum QVODSI, quod, si recte memini, non „redit in Horatii melicis carminibus, nisi semel (I. 24, 13) et medio „quidem carmine, eoque in loco, ubi multo sedatior erat dicentis affe-„ctus et ipso tristitiae sensu temperatus."

Ad quae responsurus primum quaesierim, cur tandem poëtae in extremis odae versibus sublimi vertice surgendum fuerit? Ill. Mitscherlich ad Od. II. 17. verba:

Vtrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum.

bene monuit:

„Orationem admodum ad pedestrem normam depressam videri notarunt „iam alii; sed sunt quaedam, per se tenuia, quae nullis machinis ad „dignitatem poëticam extollere valeas, siquidem veram istorum notio-„nem repraesentare velis. Peccant adeo, qui vano quodam tumore „verborum inanique strepitu nobilitatem talibus adstruere conantur."

Idem vero carmen poëtico colore et sublimiore oratione haudquaquam esse destitutum non est quod doceam. Pariter in aliis quoque Horatii carminibus res se habet. Compares modo carminis III. 3 versus inde a quinquagesimo tertio, quibus de populo Romano loquentem inducit Iunonem:

Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores!

cum iis, quae proxime sequuntur:

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii
Rebusque fidentes avitae
Tecta velint reparare Troiae,

quae metro spoliata haud supra prosam orationem surgere quisque fatebitur.

Quid? quod ne secularis quidem carminis exitus:

Haec Iovem sentire Deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.

in verborum delectu praeter numerum eximium quid ostentat.

Nostro autem loco maiorem ornatum ne accommodatum quidem censeo. Nil enim cupit Flaccus, nisi ut ab amico inter lyricos poëtas referatur. Hoc profitens, si ampullas proiecisset et sesquipedalia verba; mirum, ni Maecenas exquisitiorem et grandiloquis modis pompatam laudem a se exspectari putasset. Accedit, quod inter lyricos locum ambientis spes iis nitebatur, quae in proxime antecedentibus versibus de divino furore, quo canens percellatur, dixerat. Ubi autem ad priora respicitur, quodsi bene dici, non est, quod probem. Quare ut sola melica Horatii carmina spectemus, praeter nostrum locum et eum, quem Eichstadius ipse laudavit (I. 24, 13.) sub finem quoque carm. III. 1., quod splendido initio: Odi profanum vulgus, celebratissimum est, occurrit. His enim versibus clauditur hoc carmen:

Quodsi dolentem nec Phrygius lapis
Nec purpurarum sidere clarior
Delinit usus, nec Falerna
Vitis, Achaemeniumque costum:

Cur invidendis postibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Neque non Epod. II. 39. occurrit:

Quod si pudica mulier in partem iuvet
Domum atque dulces liberos rel.

Venio iam ad ultima, quae Ill. Eichstadius ad hunc locum monuit:

„Denique quale tandem illud est: Vatibus inserere et lyricis „vatibus inserere? Potuitne ieiunius et magis ad grammaticorum „morem explicari sententia, quam Horatius paulo ante (v. 32 — 34) „poëticis coloribus egregie ornaverat?"

Tum compellatis interpretibus, ne exeuntis carminis splendorem temere admirentur, neu, quod in textu non sit, interpretationis causa suppleant, ita pergit:

„Addunt nonnulli, lyricis vatibus indicari Alcaeum, Anacreontem, „Sappho, omnino graecos poëtas. Id si voluit Horatius, mirum, ni „scripserit:

Si me Graiugenis vatibus inseres

„vel simili modo: nam in Maecenatis consortio et sodalitio erant etiam „Romani vates lyrici, quos probabile est lectis illis verbis ipsi prius, „quam Graecos, in mentem venturos fuisse. Nec quisquam cum nostro „loco comparabit talia, qualia sunt

III. 3, 33. adscribi quietis ordinibus deorum,

III. 25, 5. egregii Caesaris aeternum decus inserere consilio Iovis,

„nisi si quia ipsa comparatione voluerit docere, quam frigeant adulte-„rina illa cum γνησιοις Horatianis collata. In quo genere unus inprimis „eminet praestantissimus locus IV. 3, 13, qui quam exquisite poëta „eiusmodi sententias expresserit, magno argumento esse potest:

Romae principis urbium
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros;
Et iam dente minus mordeor invido.

„Ut paucis complectar, relecto iam versiculo isto: Quodsi me lyr. vat. „ins. neminem spero nostrûm, qui hodie poëmata pangimus, futurum „esse, quem tam inepta, tam humili abiectaque dictione non pudeat „uti. Non committemus igitur, ut et Horatio ieiunum glossema diutius „obtrudatur, et lectores in ipso melicorum eius poëmatum prooemio „librariorum vel grammaticorum mala sedulitate decipiantur; sed abs- „tersa macula, sublatoque tandem explicationis additamento praeclarum „locum pristino nitori suo ita restituemus:

„TE doctarum hederae praemia frontium
„Dîs miscent Superis: me gelidum nemus
„Nympharumque leves cum Satyris chori
„Secernunt populo. Si neque tibias
„Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
„Lesboum refugit tendere barbiton:
„Sublimi feriam sidera vertice.

Quod h. l. primum monitum est, versibus 32 — 34 iam ornatius dictum fuisse, quod verba

Quod si me lyricis vatibus inseres

ieiune declarent, id quidem ad probanda, quae Ill. Eichstadius vult, nihil videtur valere, dummodo interpretatio nostra locum habeat, qua hos versus alio sensu ad priora retraximus. De verborum ieiunitate, quam vituperat, modo diximus. Haud ignobilia neque obscura esse ipsi loci testantur, quos Eichstadius comparavit; quibus similem adiungamus Od. II. 5, 21:

Quem si puellarum insereres choro rel.

Lyricis autem ut inseratur cupienti Flacco Graecos poëtas, Alcaeum, Sappho al. obversatos esse, licet non diserte hoc loco nominentur, non dubitabunt tamen, qui data occasione gloriari solitum meminerint, se primum fuisse Romanorum, qui Graecorum exempla secutus poësin lyricam cum laude tractaverit. Comparentur modo Od. III. 30, 10 s.

Dicar — — —
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

Od. IV. 9, 1 s.

Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.

Talia recordantibus non necessaria videbitur lectionis immutatio, quae proposita est:

Si me Graiugenis vatibus inseres.

Restat, ut de ipsa ratione videamus, qua Eichstadius carminis nostri exitum pristino nitori suo restituisse sibi videtur.

Ut nunc non moneamus, lectionem, cui abdicentibus libris Wolfius favet:

TE doctarum ederae praemia frontium

eo minus placere posse, quod eius causa Eichstadius alium versum invitis codicibus e textu eliminandum censet: ipsa grammatica structura impedit, quo minus legamus:

Si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton:
Sublimi feriam sidera vertice!

Quae enim ratio Wolfium movebat, ut codd. et editionibus aliquot suffragantibus INSERES legendum censeret, eadem postulat, ut COHIBEBIT et REFVGIET legantur; quid quod haecce verba futuro tempore pronunciari imperiosius exigit, quam in priori verbo hoc voluerat. In posteriori autem loco metrum adversari non est quod moneam.

Accedit, quod non posset non displicere, si post compellationem Maecenatis, qua carmen exorsum est, nihil sequeretur, quod factae compellationis rationem exhiberet. Ea enim non solum exspectationem moverat, fore, ut finitis, quae forte interiicerentur, ad eundem reditura esset oratio: sed eius quoque iudicium de carminibus cum hac compellatione tradendis expetitum iri facili coniectura augurari iubebat. Quod vulgato textui inesse cum interpretatione satis probabili appareat, cur in eodem non acquiescamus equidem non video.



